


Carl Heinrich Möller

Specimen Commentationis Svccinctae De Vsv Practico Distinctionvm Fevdalivm : Ad Seriem Capitvm Examinis Jvris Fevdalis Stryckiani Ex Genvinis Jvris Fevdalis Langobardici Et Germanici Principiis Ertvae, Et Ad Fevda Tam Imperii, Qvam Provincialia In Primis, Domestica Megapolitana

Specimen Secundum : Specimen Secvndvm Commentationis Pavlo Plenioris De Vsv Practico Distinctionvm Fevdalivm : Ad Seriem Capitvm Examinis Jvris Fevdalis Stryckiani Loco Programmatis Invitatorii Ad Lectiones Svas Per Instans Semestre AEstivvm Habendas

Rostochii: Typ. J. J. Adleri, [1750?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn894293729>


Band (Druck) Freier  Zugang






K. l. - 197. (19.)

Pl. - 197. (19.)





SPECIMEN SECVNDVM
COMMENTATIONIS PAVLO PLENIORIS
DE
VSV PRACTICO
DISTINCTIONVM
FEVDALIVM

AD SERIEM CAPITVM
EXAMINIS IVRIS FEVDALIS STRYCKIANI
LOCO
PROGRAMMATIS INVITATORII

AD
LECTIONES SVAS
PER INSTANS SEMESTRE ÆSTIVVM HABENDAS

EDITVM
A
CAROLO HENRICO MÖLLER,
IVR. DOCT. ET PROF. COD. DVC. PVBL. ORD.
CONSIST. DVCAL. CONSIL.

ROSTOCHII,
Typ. J. J. ADLERI, SEREN. PRINC. AVL. ET ACAD. TYPOGR.

1750.

101
Annus jam agitur decimus, quo Specimen primum
Commentationis succinctæ de usu practico
distinctionum feudalium ad seriem capitum juris
feudalis Stryckiani *in publicum emisi*, caput hujus
tractationis primum & secundum continens. *Va-*
ria circumstiterunt, quæ continuationem adhuc im-
pediverunt. Placet jam, ut fidem in præfamine, pri-
mis lineis usus practici distinctionum feudalium,
ante annum, & quod excurrit, a me evulgatis præ-
missis, datam liberem, telam illam cæptam per vices
pertexere, & prout occasio fert, plura successive
specimina, vel programmatis vel Disputationis veste
induta, dare. En igitur secundum! Capitis tertii di-
stinctionem primam & secundam complectens,

5271
CAP.



CAP. III.
DE FEVDIS PROPRIIS.

DISTINCTIO I.

Inter feudum proprium & improprium.

Fundamentum hujus distinctionis, (a) ipsamque ejus naturam, jam satis constare arbitror ex iis, quæ alio loco (b) de genuino essentialium, naturalium, & accidentalium, feudi conceptu ejusque usu in medium protuli. Feudum scilicet proprium dicitur, quod omnia feudi non essentialia solum, sed etiam naturalia salva ac integra habet, cuique præterea per pactum nihil omnino, nec contra nec præter ordinariam feudi naturam est adjectum. Improprium est, cui feudi quidem essentialia omnia salva sunt, (c) naturalia tamen vel omnia vel quædam (d) per pacta contrahentium (e) ademta, vel cui, salvis essentialibus & naturalibus omnibus, singulare aliquid cum qualitate feudi ordinaria non conjunctum (f) per pacta est additum. Illud stylo antiquo Germaniæ dicitur *Recht-Lehn*, *eigentlich Lehn*; hoc vero *nicht recht* s. *unrecht Lehn*, *Schein-Lehn*, *Sonder-Lehn*. (g) Utilitatem quidem hujus distinctionis, præter eam, quod distinctius notari possint feudorum species, nullam agnoscit acutissimi ingenii Jctus b. BEYER. (h) Sed Homerum hic dormire contingit. Sat gravem enim & insigniter practicum hujus distinctionis usum esse sequentia probabunt. [I.] Feudum proprium determinationem suam accipit ex jure circa feuda constituto vel per mores introducto, ideoque, si quæstio aliqua controversa circa naturam ejus & qualitatem suboritur, ea ex communi feudorum natura per leges & consuetudines feudales præscripta vnicè dijudicanda erit. Improprium vero indolem suam habet ex pacto dominum inter & vasallum inito, litterisque investituræ expresso; hinc est, vt, si lis super qualitate feudi improprii moveatur, illa non aliunde, quam ex tenore pacti investituræ adjecti, erit decidenda: Hac tamen addita observatione nunquam non probe attendenda, quod scilicet pacta feudi impropria-



prietatem continentia strictissima semper sint interpretationis, ita nimirum explicanda, vt, quam minime fieri potest, a comuni feudorum natura Legibus & moribus determinata recedatur. Ratio statim adest in praesumptione illa juris sita, quod partes contractum feudalem ineuntes in dubio ad jus commune sese conformare voluerint. Hinc axiomata per omnem juris feudalis doctrinam usum suum exerentia. 1. *Feudum improprium in illis tantum capitibus, quae, vel expresse per pactum, vel tacite per necessariam & in jure feudali fundatam ex pacto adjecto profluentem consequentiam, (i) mutata sunt, pro improprio habetur; in ceteris omnibus communem feudi naturam retinet. (k)* 2. *Si plures dentur unius generis feudi improprii species, semper in dubio inferior tantum & minus impropria intelligitur. (l)* [II.] Si constat rem esse feudalem, semper praesumptio est pro qualitate feudipropria, non pro impropria. Omnis enim improprietas, quia per pactum inducitur, facti est, ideoque probanda. Proprietas autem, quia ex lege est, praesumptionem pro se habet. Vnde jam consequitur [III.] quod, qui se in proprietate feudi fundat, praesumptionem pro se habeat militantem, ideoque ab onere probandi liberandus, & in possessione feudi vel firmandus vel constituendus sit. Contra, qui in improprietas feudi fundamentum agendi collocat, ei obstat praesumptio, hoc efficiens, vt onus probandi in se recipere, commode vero possessionis carere debeat. (m) Et sic quidem in thesi recte se omnino res habet. Utinam etiam in hypothese sive applicatione ad feuda nostra Germaniae. Sed hic quidem naevi ac errores DD pragmatici quotidie ingenti sese exerunt cumulo, maximo & reipublicae nostrae & jurisprudentiae feudalis domesticae detrimento. Veteres enim ad vnum fere omnes, ex recentioribus vero non pauci in ea adhuc versantur haeresi, quasi doctrina juris feudalis Langobardici vnica ac praecipua sit norma, ad quam tanquam ad Lydium lapidem natura ac indoles feudorum Germaniae sit dijudicanda. Hinc doctrinae illae vulgares; Feuda Germaniae, quorum natura cum regula juris Langobardici convenit, esse propria, quorum discrepat, impropria: Leges & consuetudines germaniae provinciarum particulares, indolem feudorum, domesticorum determinantes, strictissime esse interpretandas, ita scilicet



ſcilicet, vt quam minime a placitis Langobardorum abhorreant: Indolem feudorum Germaniæ in dubio ex decretis peregrinis Langobardorum, veram ac regularem feudorum naturam quaſi vnice præſcribentibus, eſſe determinandam: Qui in qualitate feudi jure Langobardico præſcripta ſe fundat, legalem pro ſe habere præſumptionem, ab onere probandi ipſum liberantem, & quæ ſunt plures id genus nãxiæ. Verum enim vero pudeat Jctos Germaniæ ita patriarum rerum & jurium domeſticorum incurios nonniſi peregrina crepare, & quam in ipſa patria habent legum cynoſuram, apud exteros quarere. Teſtatiſſimum quidem eſt, jus feudale Langobardicum in Germania eſſe receptum; hoc tamen nonniſi in ſubſidium factum eſſe, ſalvis per omnia legibus & inſtitutis patriis feudalibus, nemo neſcit, niſi, qui ad ſolem cæcutit, & in cimмериis confuſionis jurium in Germania tenebris verſari amat. (n). Alia igitur, & nobis Germanis digniore, in determinanda feudorum domeſticorum proprietate vel impropriate, incedendum eſt via. Omnem dixi feudi proprietatem dependere ex lege & jure per mores circa feuda introducto; impropriatatem vero ex pacto dominum inter & vaſallum inito, litterisque inveſtituræ adjecto. Jam cum Germania noſtra non vno jure feudali regitur, omnibus feudis communi, certo, vniuerſali, ſed pluribus, peregrino ſcilicet & ſubſidiario Langobardico, domeſtico Germanico vniuerſali, & particulari vnus cujuſque provinciæ, iisdemque inter ſe admodum diverſis & varian- tibus; ſequitur, non vnã eſſe feudorum Germaniæ omnium proprietatem, vel, vt clarius loquar, non dari regulam vniuerſalem, ad quam feudorum Germaniæ propria & ordinaria natura in genere conſtitui ac æſtimari poſſit. Sed alia eſt feudorum Germaniæ indoles intuitu juris feudalis Langobardici, alia reſpectu juris Germanici vniuerſalis, alia denique ſæpius reſpectu juris feudalis particularis provinciarum; ita, vt, quæ ad normam juris feudalis Langobardici ſint propria, ex jure feudali Germanico vel vniuerſali vel particulari haud raro ſint impropria, & vice verſa. Sin igitur de feudorum Germaniæ qualitate vel propria vel impropria quæſtio movetur, caveas quaſo, ne ex more Jctorum vulgari ad decempedam juris Langobardici illa dimetiaris. Di- ſtingvenda



stingvenda potius sunt jura in Germania diversa, feudorum naturam ordinariam diversimode determinantia, & ad normam eorum demum de regulari vel irregulari feudorum ratione ferendum est judicium. Sic, quantum ad feuda imperii attinet norma, secundum quam de qualitate eorum propria vel impropria judicare fas est, non erunt placita juris Langobardici, formulam Italici regni respicientia, ad Germaniam vero principem nostram non omnino quadrantia, sed leges imperii univrsales & observantia imperialis, indolem feudorum imperii ordinariam & propriam determinantes. Quodcumque igitur feudum imperii naturam habet cum Legibus hisce domesticis convenientem, est proprium, licet vel maxime secunda scita juris feudalis Langobardici dicendum foret improprium; & contra. (o) Feudorum provincialium indolem quia primario Leges & consuetudines provinciales determinant, ex his quoque de qualitate eorum propria vel impropria petendum erit judicium, ita ut illud feudum provinciale, quod naturam habet cum praescripto Legum & consuetudinum provinciarum, in qua situm est, convenientem, dicendum sit proprium, quamvis vel respectu juris feudalis Germanici univrsalis vel etiam Langobardici sit improprium, & vice versa. (p) Ad jus feudale Langobardicum, in constituenda ordinaria tam feudorum imperii quam provincialium qualitate, non nisi in subsidium, deficiente scilicet Lege tam univrsali quam particulari domestica, ejusque praeterea analogia & ratione, instituendus est recursus. His fundamenti loco positis, nullum est dubium, quin, quem distinctionis nostrae usum supra indicavi, idem ad feuda tam imperii quam provincialia optimo jure ac propitio patiatur applicationem. Etenim I. feudorum tam imperii quam provincialium natura ordinaria & propria dependet ex lege, impropria ex pacto codicillis investiturarum adjecto, eoque, quantum fieri potest, strictissime interpretando, h. e. ut quam minime, non quidem a jure Langobardico, sed a Legibus imperii vel provincialium, ordinariam feudorum utrorumque indolem determinantibus, aberret. II. Feuda tam imperii quam provincialia in dubio praesumuntur propria, id est, habere naturam, non jure Langobardico, verum Legibus potius domesticis praescriptam; improprietas

prietas illorum, quia ex pacto est, semper est probanda. Hinc sequitur III. qui in propria feudorum imperii & provincialium qualitate fundamentum vel agendi vel excipiendi collocat, præsumptionem pro se habere militantem, commodum possessionis ipsi adjudicantem, onus vero probandi in adversarium, qui improprietatem feudi pro se allegat, rejicientem. Hæ certe sunt veritates, quas praxis tam imperii quam provinciarum quotidie approbat, saltim secundum sanæ theoriæ principia approbare debebat. (q)

(a) Satis quidem alias utilis, & in ipsa rei natura ac veritate apprime fundatæ, principem quoque inter ceteras feudorum divisiones locum suo jure merentis, cui tamen elogium divisionis summæ ac generalissimæ, ceteras feudorum species omnes sub se complectentis, quod DD. illi communiter, sed perperam, tribuere solent, nequaquam competit. Sunt enim & reliquæ feudorum divisiones, quæ ab externa eorum qualitate peri solent, quod scilicet feuda sint vel antiqua vel nova, vel secularia vel ecclesiastica, vel nobilia vel ignobilia, vel prima feuda vel subfeuda &c. æque generales & ad omnes feudorum species applicabiles, ut propterea non tanquam subdivisiones sub hac nostra distinctione collocari possint, sed velut divisiones æque primariæ juxta illam per se subsistant, imo cum hac nostra reciprocari queant. Cui jungendus alter iste juris feudalis interpretum, ut communis, ita & manifestus error, feudum tantum proprium in antiquum & novum, nobile & ignobile,ulare & ecclesiasticum &c. dispescentium, cum tamen hæ feudorum affectiones de feudis impropriis non minori jure prædicari possint. Vtrumque igitur virgula censoria jure optumo maximo notavit perspicacioris ingenii JCrus b. TITIVS in *Leutsehen Lehr-N.* CAP. V. §. 6. lqq.

(b) CAP. *antec.* DISTINCT. I.

(c) Feudum scilicet improprium in eo cum proprio convenit, quod omnia feudi essentialia, æque ac hoc, salva habeat ac illibata, adeoque verum feudum & sit & maneat. Probare igitur non possum illam Doctorum doctrinam, qui cum STRUVIO in *Syntagm. jur. feud. cap. IV. aph. 1. §. 2.* feudum improprium etiam ratione essentiæ tale admittunt, Contractus enim, qui non habet feudi essentialia, non est feudalis,



feudalis, sed aliud negotium feudo tantum simile. Feudum vero improprium, quia verum feudum est, cunctis etiam feudi essentialibus gaudere debet, alias non esset feudum, sed degeneraret in jus feudo vicinum. Repete, quæ dixi, ad *CAP. præc. DISTINCT. I.* Nec obstat, quod de feudo in pecunia constituto in medium attulit *STRVIVS l. c.* nam nec hoc ratione essentialis esse improprium infra docetur ad *CAP. seq. DISTINCT. XI.* Facile hinc quoque liquet, quid respondendum sit dumviris istis elegantioris jurisprudentiæ laude maximopere conspicuis *HOTTOMANNO & RITTERSHVSIO*, quorum ille in *Disp. feud. cap. VI. circ. fin.* hic in *partit. jur. feud. cap. IV. qu. I.* distinctionem nostram non magis veram esse autumant, quam quæ a juris civilis interpretibus celebrari solet divisio in testamentum justum & injustum. Illatio enim hæc, ut Logicorum more loquar, plane fit a separatis, cum testamentum injustum plane non sit testamentum, saltem omni effectu destituatur legali; feudum contra improprium sit verum feudum, pleno suo gaudens robore, licet natura feudi ordinaria in hoc vel illo capite per pactum sit mutata.

(d) Duplicem hunc casum respicientibus DD. nonnullis, speciem quandam intermediam inter feudum proprium & improprium, minus scilicet proprium sive mixtum, constituere placuit, post *ALBERTVM* scilicet *BOLOGNETVM* *JCtum Italum de lege & æquitate cap. III. num. 24.* *SCHILT. in instit. jur. feud. cap. IX. §. III.* *TITIO im teutschen Lehn-R. cap. V. §. V.* *GEBAYER in not. ad Schilt. instit. jur. feud. cap. III. §. IIX. not. b.* ita ut feudum proprium illis sit, cui omnia feudi naturalia salva sint; improprium, in quo naturalia omnia desint; mixtum denique sive minus improprium, in quo quædam solummodo naturalia per pactum sint immutata. Sed nescio, an nimis subtiliter, nec tamen satis recte. Destruere certe hanc sententiam mihi videtur axioma: magis & minus non variare species. Feudum igitur, quod dicunt minus improprium sive mixtum, revera tamen est improprium, licet gradu tantum ab improprio strictè dicto differat. Accuratus forte, meo quidem judicio, fecissent Viri illi doctissimi, nova subdivisione opus esse censentes, si feudum improprium partiti essent in plene & minus plene tale, illud dicentes, cui omnia omnino, hoc, cui quædam tantum naturalia, desint. At enim vero, ut
ne



ne hoc quidem fiat, prohibere mihi videtur aliud brocardicum: en-
tia non esse multiplicanda præter necessitatem. Inprimis cum feu-
dum plene improprium, non dicam non ens, corvis tamen albis sit
rarius.

(e) Omnis igitur feudorum improprietas vnice oritur ex pacto, nulla
ex lege. Quæ enim in lege præscribitur feudorum natura, ea est pro-
pria omnino & ordinaria. Equidem non desunt juris feudalis con-
sulti, qui duplex feudorum impropriorum genus constituunt, alterum
ex pacto, alterum ex lege talium, in horum potissimum censum refe-
rentes feudum Guardia, Gastaldia, Soldata, de Camera, de Cavena,
habitationis, advocatiae, ceteraque, quæ officii alicujus vel muneris
gratia concessa; quorum quippe naturam, temporariam scilicet & ad
heredes non transitoriam, ipsum determinare videtur jus feudale Lan-
gobardicum in textibus *I. Feud. II. § XI. II. Feud. XX. circa fin. LXXXI. XCIV. CV.* Ita sentiunt: *VVLTE J. de feud. Lib. I. Cap. IXX. num. 39. LVDWEL L. de divis. feud. cap. IV. p. m. 80. ANTON. jus feud. Disp. 1. Th. VII. not. c. e. STRVV. Syntagm. jur. feud. cap. IV. aph. IIX.* Sed plura sunt, quæ reponi possunt. Ini-
tio quidem, feuda hæc ex ipsa sui natura non potuerunt non esse tem-
poraria, quoniam intuitu muneris vel officii alicujus personalis conce-
debantur, quod sicuti ipsum ob personæ industriam, electam non fuit
perpetuum, nec ad heredes transitorium, ita nec feudum ejus causa da-
tum. Deinde, feuda hæc propriam illam ac ordinariam qualitatem,
omnibus ac singulis feudis ab initio communem, temporariam scilicet,
retinuerunt, non igitur impropriam quandam ex Legis præscripto de-
mum induerunt. Denique jus Langobardicum temporariam illam
horum feudorum indolem non præscribit tanquam necessariam, sed
veluti consuetam ac ordinariam solummodo recenser, quemadmodum
& feudorum femininorum tam per se quam ex pacto talium, ac aliena-
bilibum, in textibus *II Feud. II §. 2. XI. XLIX. L.* facit mentionem,
quæ tamen propterea impropria ex lege talia nemo facile dixerit.
THOMAS. Diss. de feud. obl. cap. I. § XL. BETER. Delin. jur. feud. cap. 1. pos. XV. seqq. HORN. jurispr. feud. cap. IV. §. 1.

(f) An per hoc feudum efficiatur improprium, disquiram in DI-
STINCT. seq.

b

(g) Di-



(g) Distinctio hæc nostra in feudum proprium & improprium, sicuti in ipsa rei natura, ita etiam in verbis legum tam Langobardicarum quam Germanicarum, satis est fundata. Lege textus juris feudalis Langobardici *I. Feud. I. §. ult. I. Feud. II. §. 1. II. Feud II §. II. II Feud. XLIX. II. Feud. LXXXI*. Pro synonymo equidem feudi proprii ex stylo juris Langobardici plerique juris feudalis interpretum habent feudum rectum, cuius occurrit mentio. *II. Feud. II. §. 1. II. Feud XX II. Feud XXXIII. in rubr. II. Feud XXXIX. §. si inter dominum. LXXXII. XCI*. At perperam. Per feudum enim rectum in laudatis textibus potius denotatur feudum iustum, h. e. jure ac legali modo constitutum, & vel per investituram vel per successionem legitime acquisitum, quod tamen ob internam suam qualitatem per pactum determinatam potest esse improprium. Consentiant mecum HOTTOMANNVS *de verb feudal. voc. rectum feudum*. NIELL. *Disp feud. IX th. I. lit. a. in fin.* CVJAC. *ad II. Feud IV* DION GOTHOPR. *in not. ad text. cit.* Jure feudali antiquo Germanico, feudum proprium audit Recht-Lehn, improprium nüt Recht s. unrecht Lehn. Sic quatuor feudorum propriorum genera numerat *JVS FEVD. ALEM. cap C. §. IIX. ex edit. Schilt. cap. XCIX. ex edit. Berger. rubr. Was recht Lehn sey: was ein Herr Lehens liehet, das soll seyn Rechtlehn, und Erblehn, und Burglehn, und Bedinge an eines lebenden Mannes gut, und das ein Herre liehet einem Mann, so es erst ledig würd, das heist alles Rechtlehn*. Eadem nominat *JVS FEVD SAX. cap. LV. in fin. ex edit. Schilt. & Ludovic.* Item der Nichtsteig über das Lehnrecht *cap. XXI. ex edit. Ludov. & Senckenberg in corp. jur. feud. German* Opponentur his impropria, quæ recentet *JVS FEVD. ALEM. cap. CI. sqq.* Nota inprimis textum *cap. CII.* Kammerlehn ist nicht recht Lehn, das hat ein Ende so der Herr und der Mann will. *cap. CX.* Es mag kein Mann mit Recht sieme Genosß n Zinslehn geliehen. Er liehet es wohl sieme Untergenossen. Das ist aber nüt recht Lehn. *cap. CXIII §. 1.* Welich Gut dem Manne one Mannschafft geliehen würd, das heist nüt recht Lehn §. 5. aber Rechtlehn mus man mit Manschafft entphohen. *JVNGE cap. XXIX. & CXXV. item JVS FEVD. SAX. Cap LX & LXIII.* In literis investitarum mediæ ævi feudum proprium indicari solet per formulas: zu rechter Lehenschafft, zu rechten Lehn, zu Lehn nach Lehenschafft weis, was Lehnrecht vermag, als Lehnrechts Art und Eigenschaft ist. Vel plenius: davon er unser getreuer Lehmann seyn soll, wie er uns in treuen gelobt, und Lebenspflicht gethan hat, unsern Schaden warnen, Bestes werben, die Lehn treulich verdienen, denen auch, so offte sie zu Fall kommen, rechte Folge thun, und sich damit halten, wie solcher Mannelehn Güter Recht und Gewohnheit ist. Prætermittere tamen loco hoc opportuno non possum, quin addam observationem ad evitandam omnem confusionem alias certissimam, & faciliorem rectioremque veterum monumentorum intellectum, apprime conducentem. Vocem scilicet Rechtlehn secundum stylum, tam juris antiqui feudalis Germanici, quam codicillorum clientelarium mediæ ævi, esse πολυτημον, quia-



quintuplici potissimum significatu gaudentem Denotat enim 1) feudum verum, & contradistinguitur juribus feudo vicinis, vti jam pluribus observari, exemplisque collustravi ad CAP. I. DISTINCT. I. not. b. 2) Feudum proprium in genere, oppositum ceteris feudorum impropriorum speciebus, e. g. palatino, censuali, temporario &c. quæ significatio est hujus loci, jam a me indicata supra ad CAP. I. DISTINCT. I. not. a. 3) Feudum novum in specie, contradistinctum feudo antiquo; quodocunque enim *Rechtlehn* & *Erblehn* ab invicem distinguuntur, vti fit in textibus JVR. FEVD. ALEM. cap. C. §. IX. & SAX. cap. LV. in fin. modo laudatis, *Rechtlehn* nil aliud denotare videtur, quam feudum recens per investituram acquisitum; id quod clare satis probare mihi videtur locus des *Rechtsteigs* über das *Lehnrecht* jam jam citatus, descriptionem utriusque feudi suppeditans his verbis: *Nu is ydt erste Erfflehn, dat ein sin Vader geervet hefft Dat ander, dat is Rechtlehn, also dat ein Heere sineme Manne gelegen, unde sülven bewiset hefft* 4) Feudum, in cujus possessione vasallus simul est constitutus, differens a feudo, in quod ipsi tantum jus ex expectantia, vel nuda, vel cum simultanea investitura conjuncta, competit. Comprobant hoc juncti inter se textus JVRIS FEVD. ALEM. cap. CII. - - da hat der Mann keine Gewehr an, denn es ist nicht recht Lehn. Do der Mann eine Gewehr ane hat, das ist ein recht Lehn. Cap. CIV. §. 1. - - so folge er sine Gut, und underwinde sich des nüt für ein Gedinge, manne für ein recht Lehn. Cap. CVII. §. 8. Alles Lehn ohne Gewer darbet der folge, und Gewer ohne Lehn ist unrecht, sie soll beyde ein Mann han, und wer sie beyde nicht enhet, der het nüt recht Lehn. Gemina sunt, quæ habent JVR. FEVD. SAX. cap. LVII. & LIX. 5) Feudum militare non castrense, oppositum feudo castrensi dem *Burglehn*. Ita JVS FEVD. ALEM. cap. CXLIV. ex edit *Schilter*. cap. CXLVII. ex edit. *Berger rubr.* *Rechtlehen* und *Burglehen*. *Rechtlehn* und *Burglehn* mag ein Mann mit einer Lehenung wohl empfangen, also, daß er jedwedern Lehen sein Gezeug besonder hab. Litteras investituræ Ernesti Ducis Brunsvicensis de anno 1346. quibus feudum reatum in augmentum feudi castrensis casu plane singulari confertur, exhibet SENCKENBERG *de feud. Brunsvicens. in adjunct. sub num. XI.* von der Genade Gottes, we Ernst Hertoghe to Frunswich - bekennen, - dat we hebben gelaghen, unde leened. deme hoveschen Knapen Henricke von Stockhusen, - unde sinen rechten Erven to rechtene leene, to sineme Vorchleene to Bredelande, anderthalbe hoyve Landes - Sed satis, ne, quæ per digressionem solummodo monere volui, iusto longius persequar.

(b) in *Delineat. jur. feud. cap. 1. pos. LVII.*

(i) Exempla hujus habes in feudo per feminam acquisito, in quo, licet per pactum de feminarum successione nihil sit dispositum, per consequentiam tamen *Legē fundatam*, II, scilicet FEVD. XI. & L. feminæ ad successionem admittuntur, de quo plura ad CAP. IV. DISTINCT. I. Item in feudo personis ad militaria servitia præstanda inhabilibus e. g. feminæ



- aut clerico, concessio, vel in quo ejusmodi personæ per pactum ad successionem admittuntur; licet enim intuitu horum de servitiis per substitutum præstandis expresse in litteris investiturarum conventum non sit, per necessariam tamen consequentiam substitutus admittitur. Conf. CAP. *seq.* DISTINCT. IV. & CAP. VI. DISTINCT. II.
- (k) Fundatum est hoc axioma in ipso jure feudali Langobardico, ejusque textu II. FEVD. XLIX. Hinc, ut exemplo fiat res clarior, feudum francum, licet ab onere præstandorum servitiorum per pactum immune sit, propterea tamen feminarum etiam successionem admittere non est censendum, de quo infra ad CAP. *seq.* DISTINCT. XII.
- (l) Hinc regulæ istæ vulgares: feudum femininum præsumitur potius successivum quam promiscuum. CAP. *seq.* DISTINCT. III. feudum hereditarium magis simpliciter vel mixtum, quam absolute tale CAP. *seq.* DISTINCT. XV.
- (m) Ita rem determinat non jus modo feudale Langobardicum I. FEVD. I § III. I. FEVD. IV. §. III. II. FEVD. II. § II. sed etiam Germanicum JVS FEVD. ALEM. *cap.* XXIX. Conf. SCHILT. in *Comment. ad b. l.* consensusque omnium saniorum juris feudalis interpretum, ex quibus laudasse sufficiat. ROSENTHAL *de feud. cap.* II. *concl.* LIV. LVDWELL. *de Divis. Feud. cap.* I. STRVV. *Syntag. Jur. Feud. cap.* XVI. *aph.* XIII. SCHILT. *instit. Jur. Feud. cap.* IX. § I *seqq.* THOMAS *Dissert. de Feud. obl. cap.* I. § XXXII. *seqq.* PETR. MÜLLERI *Diss. de affectionibus feudi proprii.*
- (n) Latius hæc persequutus sum, legesque, tam imperii vniversales, quam particulares provinciarum Germaniæ, nonnisi subsidiarium juris Langobardici vsum admittere edocui ad CAP. I. DISTINCT. II. & IV.
- (o) Hoc si probe observassent nonnulli juris publici consulti, inter quos agmen ducit personatus ille RELFENDSO, vel uti verum ipsi nomen est, ROSENFELD *de summa princip. imper. potestate. cap.* XII. *pag.* 183 *seqq.* TEXTOR. *de Rat. stat. Germ. cap.* II § XXI. BVRGOLDENSIS *ad Instr. Pac. Part. II. Disc. V. num.* I. ANDLER. *in jurisprad. publ. & priv. Lib.* II. *Tit. X. n.* XVII. aliique, quorum copiosiores recensum dant AVTOR. *deductionis, die separation der Limburgischen Reichslehn von dem allodio betrefsend, in der Staats-Cankley. Tom.* XVIII. *pag.* V. LYNCKER. *de libertat. statuum imperii, Sect. III. membr.* II. *p.* 77. STRVVE *de allodiis imperii, cap.* II. §. XVII. *not.* II. nunquam forte in eam delati essent sententiam, quasi feuda imperii, præsertim majora, non sint vera feuda, sed in conditionem allodiorum transmutata. Quoniam vero rerum patriarum legumque domesticarum, vel incurii vel ignari, placita juris feudalis Langobardici pro universalis norma habuerunt. ad quam omnium feudorum, & sic etiam imperialium, indoles ac natura determinanda sit; simulque viderunt, feudorum imperii conditionem a natura feudorum beneficiorum jure Langobardico præscripta nimium quantum differre; nodum hunc gordium gladio solvere, feudaque imperialia ex censu feudorum plane



plane eximere satius duxerunt. Ast enim vero inciderunt in scyllam, charybdim sic evitare volentes. Testatissimum est, feuda imperialia a natura feudorum Langobardicorum multis distare parasangis, principibusque vasallis imperii longe nobiliter ac plenius jus, proprium scilicet ac patrimoniale, a pleno dominio non adeo multum abhorrens, in feudis suis competere, quod cum usufructu vel dominio utili vasallis jure Langobardico in feudis concessio neququam comparari possit. Sed quid inde? An propterea feuda imperialia non sunt feuda? Quasi ad coticulam juris peregrini Langobardici potius, quam patrii & domestici, dignoscenda sit verorum Germaniae feudorum indoles. Absit. Sufficit enim imperii Leges fundamentales ejusque observantiam hanc feudis imperialibus faciem induisse, eamque propriam ac ordinariam eorundem indolem esse voluisse. Tantum abest, ut propterea qualitas illorum feudalis sit sublata, ut illa potius Legibus iisdem imperii fundamentalibus, praxique imperii quotidiana, satis superque stabilita sit ac celebrata. Conf. ITTER, de feud. Imp. cap. II. §. II. X. STRYCK, dissert. de jure allodiali princip. imper. cap. III. §. XLIX. seqq. TREVERI Dissert. de studiis nimia libertatis circa status imperii ruinam J. R. G. procurantibus. §. XVII. & quos supra landavi ad CAP. I. DISTINCT. II. not. 1.

- (p) Hinc frequentissima in litteris investiturae feudorum provincialium tam medii quam nostri aevi occurrunt clausulae: Nach Fuldischen, Clevischen, Zutphanischen, Pfälzischen, Fränkischen u. Lehrecht und Gewonheit, quibus nihil aliud indigitatur, quam ordinariam & propriam feudorum provincialium naturam primario ex legibus ac moribus provincialibus esse diducendam. Sic, ut exemplis dicta illustrem, in Silesia & Lusatia feuda alienabilia sunt propria STRYCK, Dissert. de feud. Ducatus Silesia. LVDWIG, Dissert. de differ. jur. feud. com. & Lusat. in Pomerania, quae aeri alieno etiam allodiali obnoxia. STRYCK, Diss. de feud. Pomeran. BRVNNEM. Cent. I. Dec. LXXXIIX. KRESS, Dissert. de debitis ex feudis praecipue Pomerania solvendis. In Diocesi Fuldensi, foemina. COCCEJI Diss. de feud. Fuldensibus, & sic porro. Vix enim est aliqua in Germania provincia, quae non habeat singulare quid circa feuda constitutum, quod tum regulariter feudis ejusdem regionis inesse praesumitur.
- (q) Confer. omnino B. Cancell. a LVDWIG, jus feud. R. I. cap. V. Ejusd. Dissert. de diff. jur. feud. Com. & Lusat. Diff. V. BECK, de paribus ministris & vasalli juribus, cap. VI. §. III. seqq. SPENER, observ. hist. feud. obs. II, §. VII. not. 1.

DISTINCTIO II.

Inter pacta feudi naturam augentia & minuentia.

Quae contractui feudali adjici solent pacta, vel ita sunt comparata, ut salvis ubique feudi essentialibus & naturalibus aliquid adjiciant,



jiciant, quod regulariter feudo non cohæret, e. g. si vafallus præter fervitia ordinaria etiam ad certum aliquod & infolitum obftrictus fit; (a) vel ejus sunt tenoris, vt in naturalibus feudi aliquid immutent, & hoc quidem duplici modo, vel permittendo ea, quæ jure communi non licent, e. g. feminarum fuccessionem, alienationem, (b) &c. vel prohibendo ea, quæ alias ex jure vel vfu obtinent, e. g. translationem ad heredes. (c) Prioris generis pacta augmentia, posterioris generis detrahentia vulgo audiunt. (d) Vfum hujus distinctionis Doctores tantum non omnes in eo collocant, quod pacta folummodo detrahentia contractui feudali adjecta feudum efficiant improprium, non vero augmentia; quæ licet accefferint, feudum tamen proprium manere cenfent (e) Aft perperam fine vlla lege & ratione. Feudum improprium in genere illud effe fupra (f) monui, quod ob adjecta pacta a communi & ordinaria feudorum natura defleat. Jam cum non illud folum a regula declinet, cui quid deeft, fed illud quoque, cui plus jufto ineft, ficuti æque monftrofus homo tripes ac vnipes, nec minus ille, qui fex, quam qui quatuor folum digitis eft inftitutus; prono certe hinc profuit alveo, non illud feudum minus improprium effe, cui falvis licet effentialibus & naturalibus, extraordinarium tamen aliquid & cum regulari feudi natura non conjunctum per pacta eft additum, quam id, cujus naturalia per pacta funt mutata. Vfus igitur distinctionis noftræ, fi pacta adjecta folum naturalia feudi concernunt, nullus erit. Pactis enim hæc vel mutari, vel iis falvis infolitum aliquid addi poteft, & quicquid horum facies, feudum femper reddetur improprium. (g) Sed quoad effentialia feudi aliquem noftræ distinctionis vfum fupereffe dicendum mihi videtur. Hæc enim, quia ex originaria feudorum qualitate confenfuque legum omnium circa feuda conftitutarum certam fuam acceperunt determinationem, pactis augeri non poffunt. (h) Detrahi tamen illis mediante pacto poteft, fed hoc facto contractus non manet feudalis, verum in alium feudo vicinum ftatim degenerat. (i) Fateor equidem, theoretica hæc funt non practica, fed nec veritates theoreticæ negligendæ funt, vt doctrina juris feudalis recta ac certa conftet.

(a) Exem-



- (a) Exemplum habes in textu *II. FEVD. II. §. II.*
- (b) *II. Feud. II. §. II. in f. II. Feud. XLIX.*
- c) *II. Feud. X. in fin.*
- (d) Non satis igitur accurate hic loquuntur nonnulli juris feudalis interpretes, pacta augmentia dicentes, quæ jus vasalli in feudo augment, e. gr. alienationem, testamentifactionem, feminarum successionem permittentia; detrahentia vero, quæ jus vasalli ordinarium minuunt e. g. temporarium tantum jus in feudo ipsi concedentia. Vtriusque enim generis pacta potius detrahentia vocanda sunt, quoniam utroque casu communi & ordinariæ feudorum naturæ detrahitur. Quod ad præcavendam omnem confusionem & *λεγομαχίαν* alias inevitabilem sedulo est notandum.
- (e) *LVDWELL de divis. feud. cap. IV. p. m. 84. BOCERVS de qual. & diff. feud. cap. V. num. LXIII. STRYCK. Exam. jur. feud. cap. III. qu. 4. HORN. Jpd feud. cap. III. §. V. & sexcenti alii.*
- (f) Ad *DISTINCT. antec. & CAP. præc. DISTINCT. I.*
- (g) Confer. si placet, quæ hanc in rem disputavit *THOMASIVS in diff. de feud. oblat. cap. I. §. XL.*
- (h) Errat igitur *THOMASIVS loc. cit.* pacta etiam essentialia feudi augmentia admittens, eaque feudum improprium efficere statuens. Quæ enim ad essentialiam feudi pertinent, non dependent ex arbitrio contractum feudalem celebrantium, sed jam ex legibus & moribus certam suam ac firmam habent determinationem, ideoque, prout ceterorum contractuum a lege definitorum essentialia, nullum a pactis privatorum admittunt augmentum.
- (i) Redi ad ea quæ scripsi ad *CAP. præc. DISTINCT. I.*

Sufficiant hæc proposito. Cum enim a SERENISSIMO DVCE REGNANTE, DOMINO NOSTRO LONGE CLEMENTISSIMO, munus Professorium in hac Academia clementissime mihi demandatum sit, officii esse existimavi, Vobis, *Commilitones optimi suavissimique*, lectiones a me tam publice quam privatim habendas publico hoc programme significare, adque eas frequentandas, si quibus opera mea qualicumque vti placuerit, humanissime invitare: En! igitur Collegia, quæ per semestre instans æstivum Vobis prælegere constitui.

Publice



Publice ab hora XI. vsque ad XII. antemeridianam, in *primas lineas vsus practici distinctionum feudaliū* a me ante annum evulgatas commentabor; quod mihi occasionem suppeditabit potiora, ac præ ceteris vsū in praxi habentia, juris feudalis, tum Germanici in genere, tum in specie nostri Megapolitani, capita brevibus enucleandi.

Privatim vero

Ab hora VII. vsque ad IIX. matutinam ad ductum WOLFFII in *Elementis juris feudorum*, vniversam juris feudalis, & generalis, & particularis domestici, doctrinam, debito ordine, & qua par est, breuitate ac soliditate tradam.

Ab hora IIX. vsque ad IX. præeunte b. HEINECCIO in *Elementis juris civilis secundum ordinem Institutionum*, prima solidæ juris civilis privati doctrinæ fundamenta ostendam, & vt firma ac stabilia janciantur, manuducam.

Ab hora IX. usque ad X. Duce SCHMAVSSIO in *compendio juris publici* genuina juris publici, præsertim generalis imperii nostri R. G. principia caute & accurate explicabo.


Ab hora denique II. vsque ad III. pomeridianam, Historiam imperialem, opera vsus *Celeb. MASCOVII* in *der Einleitung zu denen Geschichten des N. Deutschen Reichs*, & quidem, vt par est, pragmaticè tractabo, ita scilicet, vt fontes & origines juris præsertim publici & feudalis, ecclesiastici item & civilis germanici, in ea latentes recludam.


Habetis sic, Amici dilectissimi, campum, in quo excurrat mecum industria Vestra. Præbebo me Vobis Ducem, quantum alia negotia permittent, perpetuum & indefessum. Adjungite Vosmet mihi socios ac comites individuos, certoque Vobis persuadeate, nihil mihi fore dulcius, nihil optatius, quam Vobis militare bellum, cujus causa nuper veluti sacramentum dixi. Valete, meque amate. Dab. e museo, XII. Cal, April.

A. R. S. MDCCL.

* * *

* * *





18. Juni 1901



*Emphytheusin aut rem immobilem aliam siue pro im-
 quae inter bona familiaria & auita numeretur, &
 ereditatis iure adquisita sit, alienet & vendat, com-
 eiusmodi proximo cognato, id est propinquo tam per-
 per mares coniuncto, usque ad quartum gradum inclu-
 putationem ciuilem, intra annum & diem, ex quo ea
 icio perfecta & actis insinuata fuit, potestas & ius
 ndi & retrahendi, adeoque emtorem priorem a con-
 ellendi & impediendi. Ita tamen, ut cognatus rem
 imprimis cognationem, si de ea dubitetur, in iudicio
 um quod extraneus emtor soluit, cum arrhis, sumti-
 go Weinkauff) aliisque insinuationis & subsignatio-
 liter offerat, quo facto emtor rem ad familiam reuo-
 em restituere tenebitur.*

§. XXVII.

TAVORVM ET HELVETIORVM

*Batauorum Retractum gentilitium locum habere
 s testis est HVGGO GROTIVS (a) qui ita scribit:
 e in de Voorseyde plaetsen de bloet verwanden van den
 van swaerdizyde als van spilzyde, sonder aensien, oft
 yde gekomen is of niet, nogte ook of het erfgoet is of
 dat den naester den verkoper naerder zy van bloede
 ende plag van outs niet verder te strecken als tot
 nderen, om dat ook de erffenissen by versterf niet
 : ende die de naesting eerst aenleyt, gaet voor allen
 hant komende, al waren die ook naerder magen.*

E 2

Nec

inge tot de Hollandtsche Regtsgelertheit Lib. 3. Cap. 16.

011
 Patch Reference numbers on left
 Serial No.
 Scan Reference Chart T2263

